GEROSOLIMA

PRESA DA TITO

E

IL SALICE PIANGENTE

ELEGIE ITALIANE

TRADOTTE IN VERSI LATINI.

TREVISO MDCCCXXV
PER GIULIO TRENTO E FIGLI.

bov.

AGL' ILL. E REV. MONSIGNORI

SEBASTIANO SOLDATI

CANONICO PRIMICERIO

E

LORENZO CRICO

CANONICO DELLA CATTEDRALE DI TREVISO.

G. MONICO

ARCIPRETE DI POSTIOMA.

Quanta sia stata la mia compiacenza all' udire l'elezione vostra, Illustrissimi e Reverendissimi Monsignori, e quanta ora sia, che, indossate le canonicali insegne, sedete nel vescovile trivigiano senato, non è a dire. E per darvene un qualche pubblico, benchè tenuissimo saggio, vi presento questo libricciuolo. Contiene esso la traduzione latina di due elegie italiane a voi ben note, e uscite, anni sono, dalla penna dell' at-

tuale vescovo di Ceneda (delle lodi del quale e come vescovo e come letterato, a me non s'addice il toccare). Scrisse la prima quand' era professore in seminario; e la seconda udiste dalla stessa sua bocca nella nostra accademia de' Filoglotti in Castelfranco; e da quegli accademici fu la prima inserita nella raccolta, che pubblicarono all' occasione del solenne ingresso di Lui alla sede vescovile; e trovasi l' altra impressa nel XII. *quaderno del mio giornale. Due valenti scrittori le voltarono poscia in versi latini.*

Queste traduzioni adunque, venutemi fortunatamente alle mani, io vi presento; e il nome dell' autore (a voi prezioso e caro), il valore de' traduttori, il subbietto in esse trattato, mi sono senza più di sicura guarentigia, che avranno da voi, Illustrissimi e Reverendissimi Monsignori, in giorno sì fausto lieta e cortese accoglienza.

Postioma il dì 24 d'aprile 1825.

GEROSOLIMA

PRESA DA TITO

Terze Rime

TRADOTTE IN LATINO

DALL' AB.

ANGELO MICHELOTTO

PARROCO DI FOSSO GIA' ALLIEVO E POI MAESTRO NEL SEMINARIO DI PADOVA.

Obruerant terras nocturna silentia, et inter
Nubila vix lucem pallida luna dabat.
Ecce mihi ante oculos urbis tristissima imago,
Ultricis flammæ flebile reliquium.
Tecta solo confusa jacent, fractæque columnæ
Ignivomos inter, pulvereosque globos.
Arida fumat adhuc tellus, fumusque coactus
In nubes densis astra tegit tenebris.
Hæc cernens palmas ad cælum, oculosque tetendi,
Imaque concussit frigidus ossa tremor.

bn.

Jamque sinistra tonat: Cherubim ruit æthere ab alto:
Utque cometa rubet terribilis facies:
Vas fert læva manus, strictum tenet altera ferrum;
Et micat ira truci picta supercilio.
Cassis nigra, nigræque olli post tergora pennæ,
Et nigra, quam rapiunt flamina, vestis erat.
Huc ubi pervenit, libratis pendulus alis
Constitit, et circum lumina torva movet.
Mox super hos lapides effudit sanguinis imbrem,
Sanguineoque ignis surgit ab imbre novus.
Jamque dolens iterum rapidis urbs ignibus ardet,
Flammarumque iterum stridor in aure sonat.
Decolor apparet lampas nocturna: coruscat,
Funestisque polus pallet uterque notis.
Fervet arena, tremit tellus, manesque per urbem
Innumeri (visu res miseranda!) volant.
Fæmineum simul omne genus, genus omne virorum
It simul, horribili squalida turba fame.
Utque examen apum crepitantibus obstrepit alis,
Et fugiens fallit spem revocantis heri;
Sic plebs spirituum ruit undique circumfusa,
Atque ululans altis questubus astra ferit.

Interea rutilum circum rotat Angelus ensem,
    Atque hos, atque illos cuspide sternit humi.
Nequicquam miseri violenta ut vulnera vitent
    Præcipitem certant accelerare fugam.
At major reliquis fugientibus obvia fertur
    Umbra, velut fracto libera fune canis.
Heu! turpis facies, tristique simillima spectro,
    Lurida deformi cui tegit ossa cutis!
Dic, quæso, qui vos? ubi sum? quæ crimina tantis
    Suppliciis ardens vindicat ira Dei?
Sic ego: at ille ferox in me sua lumina torsit,
    Et pugnis fædans tempora, et ungue genas:
Magne Deus, dixit, quam desipit ille superbus,
    Insanitque amens qui tibi bella movet!
Simon ego: invito patriam defendere cœlo
    Ausus, inauditis plector, ut illa, malis.
Hæc est illa Sion, quæ fixit in arbore Justum;
    Et tanti est vindex criminis ista dies.
Dum reditum fera Roma canit, partumque triumphum,
    Nos tam dira pati cogimur ante lares.
Quippe sacer sanguis, nostris a patribus olim
    Læsus, nos perimit; terraque iniqua madet.

Carcere ab horrendo, quo Numinis ira sepultos
Nos tenuit, virtus huc inopina rapit:
Atque hic errantes patriæ, tot regibus olim
Inclytæ et imperio, cernimus excidium.
Insuper, ut spectas, nos percutit Angelus ultor;
Nec crebros ictus pellere parma valet.
Sic qui cuncta potest sic imperat Ille; nec ulla
Nos spes auxilii, spesve salutis alit.
Dixerat, atque fugæ præceps dare terga parabat
Hostilis gladii captus et ipse metu.
Ne timeas, procul hostis abest, (ego protinus olli:)
Intentusque aliis cladibus ille furit.
Dic mihi si memores, vestræ quæ causa ruinæ?
Vel quid Romanis gloria tanta fuit?
Infandum me poscis, ait, renovare dolorem:
Horret adhuc tristis mens, refugitque loqui.
Navis in exitium non sic irascitur æquor,
Cum fremit hinc boreas, cum furit inde notus,
Ut romana cohors cæco fremebunda furore
Sacra minabatur vertere, et imperium.
Horrificis cælum signis (nisi læva fuisset
Mens) vanos nisus dixerat ante fore.

Tractibus aereis ardentes sæpe quadrigas
Vidimus, atque inter nubila bella geri.
Perculit attonitas aures hinnitus equorum,
Armaque terrifico concrepuere sono.
Quin etiam auditus rauco cum murmure clamor,
Dum caderet summo victima sacra Deo.
Solvitur in voces rumor, quibus ardua templi
Excutitur moles, araque pulsa tremit.
Hinc cito migremus: nunc est locus iste profanus:
Vox ait, horrendum vaticinata malum.
Nos tamen, immemores, cæcique furore, cruentæ
Pro patria instamus fata subire necis.
Quis referat mœrorem urbis, clademque, famemque?
Et mala quæ diro plurima ab hoste tulit?
Heu quantum Syloes it turgidus amne cruento!
Heu quantum nostri sanguinis hausit humus!
Hac illac fugiunt tanto in discrimine cives;
Sed ferro elapsus qui fugit, igne perit.
Jamque cruces miseris desunt, crucibus loca; et ipsa,
Ipsa tot exigua est terra cadaveribus.
Nec jam tam diros sitis horrida sanguinis hostes,
Sed facit insanos æris iniqua fames.

Quos capiunt, jugulant, atque inter viscera quærunt
Aurum, quod medio in ventre latere putant.
Ipse, aliique duo, mecum qui fræna regebant,
Pressimus indigno libera colla jugo.
Quam multos ferro, quam multos sæpe veneno
Extinxi! plures civicus ipse furor.
Squalorem, et maciem languore, fameque cadentum
Pressa horrore gravi lingua referre nequit.
Sponsa inimica viro, vir sponsæ, et amicus amico est;
Et frater fratris sanguine tingit humum.
Sæpe fuit mala causa trucis caro fœtida pugnæ;
Atque cibus matri filius ipse fuit.
Desperata cohors in aperta pericula præceps
Irrumpit, quavis morte parata mori.
In cumulum surgunt inhumata cadavera in urbe;
Quæque jacent extra mœnia corvus edit.
Interea ærato miles quatit ariete muros,
Et victor scalis culmina celsa petit.
Frustra armis pulsus nostris furit acrior hostis,
Et, triplex murus qua patet, urget iter.
Aurea tecta solo (regum decora alta), columnæ,
Atria cum xistis, fornicibusque ruunt.

Nos, intra templum clausi denso agmine, diram
Oppetimus, septi corda adamante, necem.
Mira loquar: cæli descendere ab arce gigantes
Vidimus horribiles: auxiliumque ferunt
Hostibus ad pugnam: dant arma, magisque furentum
Hortantur resides acria facta sequi.
Ille jacit flammas, hic vasta incendia miscet,
Vectibus hic muros, arietibusque terit.
Tandem tota domus fumum ruit inter, et ignem;
Totque unum moles obruit excidium..
Sic periit, propriisque jacent tumulata ruinis
Urbs nulla antiqui signa decoris habet.
Hæc narrabat adhuc: illum petit Angelus ense,
Et visum horrendum ceu levis aura fugit.

IL SALICE PIANGENTE

Elegia

TRADOTTA IN LATINO

DALL' AB.

FRANCESCO FILIPPI

PROFESSORE NEL GINNASIO DI LEGNAGO.

Lenta salix, uda gaudens quæ margine ripæ
Vicino sparsas tingis in amne comas,
Quos mihi tu mœrens revocas in pectore sensus,
Præcipiat tristes ut mea musa modos?
Flumina, tu propter Babilonis dira, tegebas
Captivum Jacob umbra benigna genus.
Te subter miseræ plorabant agmina turbæ:
Pendebant truncis organa muta tuis.
Huc canas, flavasque comas, discrimine nullo
Ordinis aut sexus, sors inimica tulit.
Tempora, clamabant, heu tristia tempora! quando
Quis poterit nostri frangere vincla jugi?

Quando erit, ut patrios invisant lumina colles,
Jordanisque sacra membra lavemus aqua?
Quis rapuit nobis te, nobilis unda, retroque
Versa, ubi non udo transiit arca pede?
O viridans Tabor! o celsis regia tectis!
O templum in nostris spes columenque malis!
Scilicet, omne sacrum diro turbante tumultu,
Omnia barbaricæ diripuere manus.
Non candelabrum, non ara, aut mensa supersunt,
Non penetrale; tulit hosticus illa furor.
Nec, qua magna Dei quondam se sustulit ædes
Dignoscunt gentes: occulit herba locum.
O Deus alme, tuos cur nos, cur linquis inultos?
Cur tua tam diro cessat in hoste manus?
Quo pietas abiit, priscis tam cognita sæclis
Largita usque novas prosperitatis opes?
Crimina nostra tui sibi clamant tela furoris;
Et gravis ut veniat, debita pœna venit.
Divino, oh! quoties afflati numine vates,
Hæc heu luctisonis præcinuere notis,
Mœnia præfantes altæ subversa Sionis,
Nexaque per nostros barbara vincla pedes!

Verba sed aerii rapuerunt irrita venti;
    Nos cœci adjectas sprevimus usque minas.
At tu parce tuis: pateat tua gloria, et hostis
    Ultores oculos sentiat esse tibi.
Fac Solimæ a notis clarescat terra triumphis:
    Fac pereat falsis gens operata deis.
Talia plorabant miseri. Tu questibus illis,
    Lenta salix, omni tempore testis eras.
Eja, acclamabant gens impia, dicite Sion
    Cantica, nec lacrymis semper adeste novis.
Quomodo, tunc illi, Domini cantabimus hymnos,
    Barbara ubi est tellus, plectra ubi mœsta dolent?
Gaudebant gemitu, et lacrymis, nullumque levamen
    Delitiis erat urbs illa sepulta suis.
Libertatis amor mentes torquebat, et unus
    Patria luce ollis, patria nocte dolor.
At non antiqua Babylon minus impia, nobis
    Oppressa impuro sub pede colla tenet.
Exultat hic misere terrestres vita per oras,
    Quam manet in superis patria avita plagis.
Cur igitur densa caligine consita, nunquam
    Æthereis inhiant pectora nostra bonis,

Falsa hic decipimur specie, mundoque ruenti
    Hæremus, nec fas asseruisse caput.
Non sinit hoc animus (proh! mores ad mala versos)
    Figimus et nostris oscula compedibus.
At tu, mœsta salix, fugiens dum præterit ætas,
    Ducenda in lacrymis tempora cuncta mones.
Cedo ego: nempe meæ requiescant carmina musæ,
    Appendam ramis et mea plectra tuis.
Nec mihi dehinc libeat lætos expromere cantus,
    Donec erit sanctæ limen adire Sion.